



Jeremias propheta regibus Aegypti signum, dicens: Tunc idola vestra cadent, cum virgo filium pariet. Qua propter sacerdotes Aegypti in secreto loco templi posuerunt imaginem Virginis, puerum in sinu habentem, et ipsam adorabant. Hanc imaginem dum rex Ptolomaeus invenisset in templo, mirabatur et quid significaret a sacerdotibus interrogabat? Qui dixerunt, hoc esse paternae traditionis mysterium, quod spiritu sancto propheta revelante acceperunt majores, et credebant, in rebus ita fore venturum, ut dum virgo pariens filium partum suum his terris inferret, omnia idola nostra auferret.

Scimus autem, tradente evangelio, quod Joseph cum Maria et filio Jesu VII annos deguit in Aegypto, sed in quo loco habitaverint, diversitatem (92 a) reperi. Quidam dicunt, quod in Hermopoli Thebaidae; et hoc habetur in Vitis patrum. Alii dicunt, quod manserint semper in Busiris, juxta fontem sibi datum. Caeteri volunt, quod in Heliopoli deguerint. Communiter tamen, et quasi omnes Christiani et Sarraceni, hic in Babylone eos habitasse asserunt. Pro quorum omnium concordia dici potest, quod, quia pauperes, alieni et exules fuerunt, in his VII annis migraverunt de loco ad locum, quia pauperes de facili mutant domicilia, praecipue in partibus Orientis. Sed nemo aestimare debet, quod propter levitatem vel instabilitatem vel propter impatientiam mutaverint domicilium, sed propter causas divinas et rationales, nobis non expressas.

Cum ergo orationes praescriptas in processionali in crypta complevissemus, ascendimus, et per altaria superioris ecclesiae gyravimus invocando Sanctorum patrocinia. In parte autem dextra ecclesiae est unum fossatum profundum et magnum, ac si esset grande sepulchrum aqua repletum et assaribus opertum, de quo dicunt Joseph haussisse aquam in usum suae sacratissimae familiolae pro lotionem pueri Jesu et pro coctione ciborum, et pro potu, a quo usu tantam accepit haec aqua virtutem, ut hodiernum in diem saluberrima sit, multas aegritudines curans, unde tam Christiani quam Sarraceni creberrime de ea sumunt ad medendum certos languores. Insuper Sarraceni suos debiles pueros mittunt ad locum, ut in aqua illa baptizentur etiam baptismo Christi, non quod credant effectum aliquem spiritua-

061

059

065

055

070

050

110

010

160

560

Ende

Anfang